

vero que reperirentur non capta, vel non translata, restituantur in statu quo reperirentur et essent tempore presentis pacis. Super debitis vero singularum personarum que per communia vel dominationes dictarum partium capte non essent, fiat justicie complementum et possint compelli ad solutionem, sicut poterant ante presentem guerram. Item super eo quod pro parte prefatorum magnificorum dominorum Padue et communitatis ejusdem petebatur sibi sal dari per commune Veneciarum, actum et conventum fuit inter dictas partes ante predictam ultimam pacem. Et super hoc dicta pacta, ante dictam pacem inita observentur et debeant observari. Item super requisitione facta pro parte prefati magnifici domini Padue de ducatis viginti milibus domine Fine olim consortis dicti magnifici domini Padue, actum et conventum fuit inter dictas partes, quod si legitime probetur dictam pecuniam in toto vel pro parte pervenisse in commune Veneciarum, vel ejus officiales, quod in totum, vel pro ea parte, que ad eos pervenisset per dictum commune Veneciarum fiat et fieri debeat dicto domino Padue, seu heredibus dictae domine Fine, restitutio. Si vero in singulares personas pervenisset, fiat inde plenum et expeditum justicie complementum. Item fuit actum et conventum inter dictas partes, quod omnia pacta inita inter dictas partes ante dictam pacem ultimo factam, de qua superius facta est mentio, debeat inter ipsas partes inviolabiliter observari, super hiis quibus per presentem pacem specialiter non est provisum. Item super eo quod per alteram dictarum partium petebatur, quod dirui deberent et dirupta stare omnia castra, bastite et loca que contra pacem supradictam reprehendiscari fecisse dicitur prefatus dominus Padue, videlicet Castrum Carum, Ordiacum alias Portus novus cum suis fortificiis et turris que est ex opposito dicti Castri. Actum et conventum fuit inter dictas partes nominibus antedictis quod dicta castra, bastite, turres, fortificie et loca stare debeant vel dirui pro libito voluntatis domini Padue, non obstante pace predicta. Item fuit actum inter dictas partes quod domini comites de Colalto velut adherentes dicti